

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 14 (Sapientie
mater et prudentie consilio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 14 (Sapientie
mater et prudentie consilio...)*

Sapientie mater et prudentie consilio non delirat, suum si quis animum adversitatum pondere pregravatum alicuius artis auxilio sublevat, ut ruinosae taliter in infernum tristitiae non mergatur, quin resurgere nequeat postmodum ad letitiae paradisum. Ideo quae, domine, care pater, tot impresenciarum exhaustus periculis tot angustiis circumseptus, tot afflictus doloribus, tot tribulationibus laceratus viam inveni, credo meis actibus non ineptam, totam mentem assiduis proponens lectionibus dedicare, quae meum intellectum interdum ab obsidione turbationum instantium furabuntur, ut queat spiritus a suspiriis respirare et me forsitan in aliquo facient meliorem. Verum quia nequeo sine gratiae vestre subsidio ducere cenam istam, paternitatem vestram rogo precordialiter, quoad possum, immo precordialius plus quam possim, quatenus Isidorum de synonymis et ethymologiis, Tullium, Senecam, quos in vestro monasterio pro certo comperi reperi vel aliquos etiam libros alios ex illis precipue, qui suis in tractatibus per agros amenos et prata florentia delectantis rhetorice spaciuntur, mihi benigne dignemini commodare pro certo scituri, si essent aurei vel inestimabiliter pretiosi iuxta vestrum beneplacitum, salvi fient.